

Disputationem medicam de haemorrhagia ... / respondente Henrico Siegfried.

Contributors

Siegfried, Heinrich, active 1683-1685.
Lange, Christian Johann, 1655-1701.

Publication/Creation

Lipsiae : Literis Johannis Georgii, [1685]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pyaq94s2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10
Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM MEDICAM

De

HÆMORRHAGIA,

Pro

L O C O

*In Amplissima Facultate Medica,
quæ Lipsiæ est, obtinendo,*

Ejusdem Auctoritate, Publicæ
placidæq; Disquisitioni
subjicit

CHRISTIANUS JOHANNES Lange
Phil. & Med. D.

RESPONDENTE

HENRICO Siegfried/Dantisc.
Med. Stud.

Ad diem XXIX. Maji M DC LXXXV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI,

D. D. B. N.
DIPLOMA MEDICINAE

MEMORIALIA

1770

In Regni Britanniarum Praesentis Praesidis
et Regni Franciae Praesidis

Regni Sardiniae Praesidis
Regni Siciliae Praesidis
Regni Neapolitanae Praesidis
Regni Siciliae Praesidis

CHRISTIANUS JOHANNES

HENRICO

in Regni Siciliae Praesidis

H. L. G.

LIPSI

LUCIUS JOHANNIS GEORGI



§. 1.



Um cortcem diffringere necessum

habeat nuclei cupidus antequam ejus fruatur dulcedine; idcirco & nos interiora consideraturi præsentis affectus nominis involucra prius removemus.

Descendit autem Hæmorrhagiæ vox ex Græco *αἷμα*, sanguis, & *ῥαγῆναι*, quod à Galeno per *ἀθρόως*

ῥυαῖν, hoc est, confestim sive impetuose ferri, videantur Oeconom.

Hipp. p. 12. & definitiones Goræi p. 11.; à Mathia Martini vero, in

Lexico Philologico per rumpi, à *ῥηγνυμι* rumpo, interpretatur. Apud

Latinos scriptores civitate donatum reperitur hoc hæmorrhagiæ no-

men, quasi nimirum magis aptum dives hæc lingua suppeditare haud

posset; attamen nescio cur cruentatio, sanguinis eruptio l. profusio, non

æquè accuratè, omne id quod sub hæmorrhagia dicitur, exprimant,

præprimis cum Germanicæ appellationi, qua, *das Bluten/ item eine*

Blutstürzung audit, accurrate respondeant.

§. 2. Enim vero in hoc significato non semper hæmorrhagia ve-

nit aliquando enim generaliter, pro omni sanguinis profluxu, quandoq;

vero specialiter, pro illo tantum, qui per nares contingit, sumitur, con-

fer de hac ultima acceptione Galeni commentarium in librum primum

Epid. Hipp. & lib. 6. sect. 3. Aphor. 15.; item Hippocratem, qui ut plu-

rimum narium intelligit cruentationem, hæmorrhagiæ voce absolutè si-

ne partis adjectione usus.

§. 3. In præsentiarum de hæmorrhagia in sensu generali agens,

volotam per nares, os, uterum, & hæmorrhoidalia vasa, quam per par-

tes, ense, fuste, aut casu fauciatas contingentem p. n. sanguinis profu-

sionem.

§. 4. Sanguis itaque est materia quæ effunditur in hoc affectu.

Non prolixus ero in sanguinis explicatione, hospes enim vel peregrinus

fit in Medicina necessum est, quem lateat hoc nomine liquorem il-

lum rubicundū venarum arteriarumque nec non pororum partium in-

colam, totius vero corporis nutritium intelligi. Nec quicquam refert,

sive ex arteria immediatè, adeoque cum impetu & saltu, sive ex vena vel poris partium non tam magna cum vehementia, nec adeo florido colore, sed magis atricante tinctus, extra corpus fluat. Necessum tamen est sincerus & purus sit sanguis, hoc est, à nullis aliis humoribus inquinatus, secus namque hæmorrhagiæ nomen perdit; e. g. si cum sputo, alvinis fecibus, aut urina sanguis commixtus excernatur, à Medicis nunquam hæmorrhagia appellatur, sed sputum cruentum, dysenteria & mictus sanguineus.

§. 5. Quoad formale hæmorrhagiæ, consistit illud in profusione sanguinis. Hinc statim intelligitur extillatione aliquot guttularum, forsan ex vulnere ab acus cuspe inflicto, aut levi incisione digiti, proprie non competere titulum hæmorrhagiæ, *ῥαγῆνα* namque ex quo componitur, juxta Galeni explicationem superius allegatam, non nisi impetuofam & largam designat profusionem; rectius itaque stillicidium vocatur sanguinis modica hæc cruoris deperditio. Equidem non negaverim historias Practicorum & quotidianam observantiam, insignem quantitatis ratione differentiam in hæmorrhagiis annotare, adeo ut jure moderatam aliam dixeris, aliam enormem quales fuerunt à Rhasi Aph. Lib. III. Foresto. l. 13. O. II. 14. Ballonio Epid. 194. Schenck. l. 1. 33. Rhod. Cent. 1. Observ. 98. Heer Obs. 20. 23. Sculteto Observ. p. 35. à Meekren c. 4. p. . 2. memoratæ, utpote à quibus totum corpus penè omni sanguine privabatur, sic ut tandem non tam sanguis flueret, quam liquor subflavescens & aquosus, prout Miscel. Acad. N. C. A. 3. Obs. 243. narrant, vel juscula ipsa & medicamenta restorationis gratia exhibita, quod ante aliquot annos hic Lipsiæ contigisse novi. Atamen cum in moderata quoque hæmorrhagia notabilis sanguinis quantitas profundatur, tum nec immeritò titulum hæmorrhagiæ gerit.

§. 6. Ast sola non sufficit profusio sanguinis ad constitutionem hæmorrhagiæ, sed insuper requiritur ut præter naturam contingat: Excludum itaque volo ex hæmorrhagiæ catalogo menstruum & lochiorum in sequiori sexu, nec non hæmorrhoidalem fluxum in quibusdam viris, tanquam secundum ordinarium providæ naturæ cursum superfluum aut noxiam futuram sanguinis sarcinam è corpore proscribentem.

§. 7. Declarata sic materia hæmorrhagiæ progredior ad symptomatum tam concomitantium quam insequentium recensitionem. Sermo jam mihi est de enormi, (altera siquidem species periculo vacat
omni,

omni adeoque etiam rarissimè curæ committitur nostræ) tanquam quæ laudabilem istum vitæ thesaurum prodigè perdit. Hanc itaque excipit faciei ac labiorum pallor ac discoloratio, artuum refrigeratio & tremor cum sudore frigido, anxietas præcordiorum, scotomia, animi deliquium, singultus, & convulsivi totius corporis motus ut plurimum lethales. Quod si tamen convenientium medicamentorum ope antequam graviora hæc superveniant symptomata coercere vales fluxum, liberas quidem à præsentaneo vitæ periculo ægrum, sed non à languore summo, appetitus & primæ digestionis prostratione totali, cachexia & hydrope, quibus nihilominus postmodum obnoxius erit.

§. 8. Tale itaque horrendum non minus ac periculosum Symptomatum syrma post se trahit hæmorrhagia nuda id est nullo alio morbo vestita: quid credis expectandum ubi cum malignis & potissimum per exanthemata se manifestantibus jungatur morbis? Tum sane longe magis erit periculosa, quatenus nimirum ad interiora humores pravos summo cum conamine à natura antehac ad peripheriam ejecto revocat; hinc pro pessimo signo hæmorrhagia superveniens in peste, petechiis, morbillis, variolis & purpura nostratium, nunquam non habetur. Et hæc etiam, quod in parenthesis saltem noto, vera mihi videtur ratio, quam obrem purpura, puerperis primis diebus erumpens, adeo sit exitiosa.

§. 9. Sed quicquid hæctenus de symptomatibus sum locutus ita intellectum volo, prout ut plurimum evenire notamus. Non enim me latet in robustioribus subjectis, & in quibus natura morbi solutionem hac crisi molitur, sæpius insignem & vix credibilem hæmorrhagiam citra ullam noxam, imo potius summa cum euphoria accidere; quapropter etiam de Medici prudentis erit officio accuratè dijudicare hunc naturæ conatum criticum à symptomatico, ne forsitan intempestivè in hoc opere laudabili, sanguinem sistentibus medicamentis operosam impedit naturam.

§. 10. His præmissis ad causarum examen me accingo, inquisiturus unde nam anomalus ille motus sanguinis extra naturales suos fines, originem trahat. Vix autem feliciter id impetravero, quam culpam tanti mali quærens partim in sanguine, partim vero in partibus solidis, circulationi ejus naturali inservientibus, uti sunt arteriæ, venæ, & denique media illa interjecta spatia, s. pori partium.

§. 11. In sanguine itaque primò se manifestat plethora ad va-

sa à praticis dicta, sive abundantia ejus nimia, vasa supra modum copia sua distendens. Hæc enim prout in hominibus ex victu euechymo, tranquillam, sedentariam & ab omnibus curis liberam vitam agentibus facile nascitur, ita postmodum levi accedente corporis aut animi commotione, per vasa ad ruptionem usque jam jam turgescencia exitum sibi quærit. Num vero iste exitus per ruptionem vasorum contingat, non multum altercabor cum negantibus, sufficit mihi probasse possibilitatem plethoræ exquisitæ ad vasa, & quidem tantæ, quæ usque adeo parietes vasorum distendit, ut citra ruptionem nil quicquam amplius possint recipere. Interim an trunci majores vasorum æquè ac forsân extremitates capillares ex hac causa solutionem continui admittant, id non tuebor, cum substantia illorum satis compacta & crassa, non nisi summa cum violentia, (qualis ab impulsu cordis non speranda) dirumpi se patitur.

§. 12. Ex eodem fundamento puto etiam petendam esse rationem hæmorrhagiæ narium vel partis alterius, quæ insequitur amputationem artuum, cujus Fontanus Medic. Pract. lib. 1. c. 32. mentionem injicit. Nimirum cum antea notabilis satis quantitas sanguinis parti huic v. g. pedi aut brachio concredebatur, nunc intercepta per extirpationem hac via cogitur sanguis ad alia vasa, eaque tanquam jam undiquaque repleta, ita infarcit, ut parietes illorum, impares hanc distensionem sustinendo, divulsionem tenuium tunicarum in vasorum extremitatibus sustineant. Similis est ratio hæmorrhagiæ tempore suppressionis mensium aut hæmorrhoidum, item in obstructionibus, lienis, hepatis &c.

§. 13. Post hæc sanguinis quantitate peccantis vitia, consideranda venit qualitas, ubi orgasmus, seu quod idem est, plethora notha, primas sibi vendicat; ab hac namque causa non secus quam ab exquisita plethora extra vasa cogitur contentus sanguis. Unde dependeat illud vitium non una est Autoribus sententia, alii ex antiquis, è quibus nunc solum Capivaccium Oper. p. m. 332. nomino, illud ex cacochymia, sive pravorum sanguinis humorum abundantia deducunt, & rogati de speciali natura horum humorum, biliosos, pituitosos, melancholicos, acidos, acres, ponticos, & sexcentis aliis modis corruptos incusant. Recentiores vero fermentationi sanguinis nimie, vel stylo aliorum, ebullitioni & effervescentiæ ex concursu diversorum salium, acidi nimirum ac alcali, origines hujus organi adscribunt,

bunt. clarius longè rem declarasse rati. si ab ejusmodi in sensus incur-
rentibus principiis explicationem petant. vid. V Villisii integer Tr. de
fermentatione, ut alios innumeros ejus sectatores taceam.

§. 14. Circa utramque tamen sententiam dubia mihi quædam
sunt nata, quæ neutram ex his scopum veritatis attingisse persuadent.
Quoad namque antiquam hypothèsin, errant dum pituitosum melan-
cholicum, acidum ac ponticum succum sanguinis pro orgasmi causa
vendicant, illi enim, in se considerati, contrarium penitus effectum
præstabunt, sanguinem nimirum incrassando motumque retardando,
qualia symptomata tota die cachecticorum & melancholicorum cœncio
experitur. Quod si vero ex commixtione biliosorum humorum tur-
gescentiam quis acidorum, melancholicorum, pituitosorum &c. dedu-
xerit, probandum prius habebit, bilem cum acidis & reliquis efferve-
scere, quod quidem cum Sylvio, hodie adhuc à quamplurimis asseri
scio, nunquam tamen oculis propriis, ut ut crebrius hunc in finem ex-
perimenta adornaverim, vidi.

§. 15. Quod Recentiorum fermentationem & effervescentiam
ex acidarum & alcalicarum mutuo conflictu proveniente attinet, ve-
reor ne temeritatis crimen incurram si opinionem à tanto eruditorum
numero hæcenus approbatam, in dubium vocitem. Verum enim
vero bono me jubent esse animo incomparabilium virorum
biga, Johannes Alphonfus Borellus & V Valtherus Charleton, qui ex ra-
tionibus non contemnendis sanguinis fermentationem & effervescenti-
am ex salinis principiis jam jam suspectam reddiderunt, ille quidem
in tr. de motu animalium, hic in anatomicarum lectionum prima of
the motion of the Bloud trough de Veins and arteries. Sed ad ratio-
nes dubitandi; Palmarium argumentum defumo ex ineptitudine san-
guinis; non jam illam loquor quam Charleton lib. cit p. 5. urget, sum-
mam nimirum defecationem sanguinis hinc & inde in diversis emun-
ctoriis per reiteratam aliquoties circulationem factam, sed tantum gluti-
nositatem ejus naturalem, hac enim præsentem salium involvuntur spicu-
la ac mutuus infallibiliter intercipitur congressus. Alterum medium
terminum à deficiente requisito ad fermentationem & effervescentiam
spatio, æerisque liberiori accessu in venas & arterias peto. Tanta vero
utriusque est necessitas, ut teste citato Charletono multa quoque si doli-
is validissimis, ab omni æeris accessu munitis includantur, à fermenta-
tione possint ad longum tempus præservari. Tertio miror quamobrem
conti-

continuatam effervescentiam extravasati orgasmum sustinentis sanguinis in pelvi v. g. non conspiciamus. Crediderim sane, illam, si adesset, magis augmentum accepturam ab elatere æris, quemadmodum id in musto & cerevisia, aliisque liquoribus fermentescentibus contingit. Sed forsan invisibilis est hæc ebullitio, qualem Schuyf pro veteri Medicina, de pugna acidi succi pancreatici & bilis narrat, ut proinde, quod mortalis hominis haud est, oculis usurpare gratis optem.

§. 16. Igitur cum scrupuli isti circa causam turgescentiæ sanguinis adhuc me urgeant, donec mihi eximantur, statuo, orgasmum provenire ex resolutione sanguini innatantium particularum fibrosarum, quæ alias moderare poterant cursum illum nimium ac effrenum, quod idem Paracelsus in Comment. lib. 7. §. de gutta, innuere videtur, synoviam scilicet sanguinis resolutam & separatam pro causa indicans. Etenim, quemadmodum generosus equus disruptis habenis, feroci saltu quaqua versum fertur; ita etiam naturali illo freno sanguinis disrupto non mirandum ex leviter aucto cordis motu usque adeo totam massam sanguineam exagitari, ut quoque septa à natura posita diffringat & extra illa fluat.

§. 17. Pro meliori luce huic asserto affundenda perpendamus paululum procatacticas hæmorrhagiæ hujus causas. Experientur autem talem primo illi, qui diutius quam par est, sub sole moras trahunt, vel balnei aut fornacis calorem longius sustinent; hinc rectissime Hippocrates sect. 3. aph. 20 anni tempora, potissimum tamen æstivum numero externarum causarum inserit. Quid potus cerisæ, calidioris naturæ vulgo dictæ, vel vini generosi, musti aut vini adusti contribuat, notum est, potest tamen, qui nihil nisi auteritatibus confirmatum admittit, Forestum l. 13. o. 12. de eo consulere. Simile quid ab esculentis acris & solventibus, aromatibus puta, raphano rusticano aliisque sperandum est, quod suo damno sæpius scorbutici experientur. Novi divini verbi facundum præconem qui nunquam impune gammarum elixatum comedit, quin brevi post largam patiatur hæmorrhagiam. Quid dicam de motu corporis excessivo, saltatione, equitatione, pugillatione, sternutatione, clamore ac tusi vehementiore, veneris exercitio immoderato &c. nonne etiam ab illis sanguis resolvitur, spiritusque nostri in motum capiuntur concitatiores? exempla vid. in Hild. C. 9. f. 125. Senerto Epist. p. 1174. Animi pathemata & ex illis in primis ira symbolam quoque suam la-

ga, ut sic loquar, manu ad hæmorrhagiam excitandam conferre, observationum par modo citati Hildani C. V. obs. 72. adstruit, quibus addo propriam, quam dum hæc scribo, annoto in fœmina ob vehementem excandescentiam, hæmorrhagiam uteri enormem, extra consuetum lunaris tributus tempus, patiente. Tandem & ab æstu tam intermittentium quam malignarum febrium, in corporibus dispositis sanguinis effusio excitatur, cujus culpam rursus solis spiritibus, enormiter in resolutam Massam sanguineam agentibus, in acceptis ferendam existimo.

§. 18. Post sanguinis orgasmum sequitur acrimonia erodens & exulcerans sanguinea vasa; Ideoq; frequenter, in morbis ex tali acrimonia sanguinis oriundis, tanquam symptoma supervenit eruptio copiosa sanguinis per varia loca, quemadmodum id annotamus in variolis, morbillis, scabie, coryza, scorbuto, aliisque pluribus.

§. 19. Denique & nimia sanguinis tenuitas inculpanda venit, quo nomine intelligo dyscrasiam aqueam, dum nimirum ob abundantiam serosarum partium, consistentia ejus, s. n. paululum spissa, nimium diluta apta redditur, etiam minutissima capillariū vasorum ostiola sine impedimento transeundi, præprimis si ab acrimonia admixta portæ referantur. Et hanc sanguinis constitutionem, credo causam esse cruentationis solennis quorundam hominum tempore hyberno, cujus etiam Hippocrates in supra allegato loco mentionem injicit; illo enim tempore ob æeris externam inclementiam insensilis humorum transpiratio impeditur, adeoque necessariò coacervato sero in corpore, massa sanguinea ex tenuitatis vitio ad hæmorrhagiam disponitur.

§. 20. Atque hæ videntur mihi genuinæ causæ hæmorrhagiæ ex parte sanguinis, nunc itaque videndum qualisnam à solidis expectanda partibus. Multum hic juvabit in gratiam tyronum præmonuisse, sanguini certos cancellos à natura esse positos in corpore, in quibus continuo cursum suum absolvit. Etenim qui ex cordis sinistro ventriculo in systole evibratur, per arteriæ a ortæ truncum tam ascendentem quam descendentem ad omnes corporis partes propellitur, inque illarum poros effunditur. Peracta aliquali mora in hisce locis, suscipitur rursus in venarum ostiola; transferturque per truncos majores ad auriculam & ventriculum dextri lateris, è quo per arteriam pulmonalem ad pulmonum poros, & ex his rursus per venam pulmonalem ad sinistram auriculam, & denique in ipsum ventriculum fluit, qui iterum iterumque

se contrahens, per viam modo recensitam denuo omnem propellit sanguinem.

§. 21. Quod si igitur in una ex his partibus læsio aliqua contingat, oritur profusio ejus, plus minus vehemens ac periculosa pro diversitate conditionis sanguinis & læsionis. Omnium tamen impetuosissima ac periculosissima læsio est in arteriis, præprimis in majoribus fauciatibus cui succedit venæ majoris non minus periculosum vulnus; tandem vero pororum læsio sequitur, quæ solitarie spectata periculo penè vacat.

§. 22. Sed ad species & modos læsionis harum partium deveniendum est! Antiquitatem si de his consulamus, deprehendimus à Galeni temporibus unanimi consensu fuisse ereditum, l. per ἀναστομωσιν, vel διαπρήδην, aut διαίρεσιν illam fieri. Intelligunt autem per anastomosisin, (quam Celsus osculationem appellat) immodicam extremitatum vasorum apertionem & refectionem; sicuti per diapedesin transudationem sanguinis per vasorum rarefactos poros; & denique per diàresin vasorum solutam unitatem, specialiter tamen illam, quæ ab erosione dependet διαβροσιν, & quæ à ruptione aut alia violenta causa externa oritur ἐνήξιν dixerunt.

§. 23. Placent recensiti modi, tanquam qui omne in his partibus vitium sufficienter explicant, notetur solum anastomosisin ex internis potissimum causis, plethora videlicet vera ac notha nec non orgasmo sanguinis; Diabrosin vero ex acrimonia sanguinis & assumptorum (quorum alöen refero, singulari vi aperiendi hæmorrhoides præditam) vel externis locis applicatorum dependere, & ἐνήξιν ex contusione, casu, aut alia vulneratione. Conferatur Riverii Praxis. Cap. de Hæmorrhagia.

§. 24. Unica diapedesis dubium mihi aliquod gignit; Hæreo namq; antalis vasorum læsio tam facile sit admittenda. Audio quidem raritatem vasorum juxta ac tenuitatem sanguinis tamquam causas internas, solis verò ac balnei calorem tamquam externas in cusari; attamen ignoro quam loquantur raritatem in vasis adeo compactis. Sane si tenuissima lymphatica vasa, liquorem suum, sæpius perquam subtilem detinere citra transudationem valent, quid non sperandum de venis & arteriis. Quod si vero calori externo tantam rarefaciendi vim attribueris, dic quæso, cur agrestes, qui sæpius à diluculo ad crepusculum usque Syrii ardorem perferre coguntur, aut qui propè fornacem diutius hærent, sudoris loco sanguinem frequentius non stillent, cum tamen causa sufficiens externa adsit.

§. 25. Tractationem de causis hæmorrhagiæ tam proximis quam remotis, excipit loci indigitatio; De quo sciendum omnem partem corporis nostri pati posse hunc p. n. fluxum. Ast ne aliquid omisisse videar nominabo saltem loca, & quidem primo consueta, postmodum & inconsueta. Ad consueta proinde loca in utroque sexu pertinent nares, in fœminis uterus & masculis anus, in illis pro mensium & lochiorum in his pro hæmorrhoidum fluxu. In minus consuetorum catalogo continentur præter vulnera omnium partium, nunc oculi, testante Bartholino C. 1. h. 2. Schenck lib. 1. f. 197. Meeck' ten obs. p. 41. nunc gingivæ vid. Hild. p. 6. o. 77. nunc dentis alveolus post evulsionem, conferatur Scultetus Armament. Chirurg. p. 25. Riverius. Observ. com. p. 331. Horst. Volum. I. p. 2. de morbis mulierum p. 36 : nunc porus narium, observante Salmuth. Cent. II. p. 20. nunc pori universi cutis, referente Horstio lib. 1. p. 2. p. 35. : nunc penis, prout allegat Hœchstetterus decad. 1. obs. 3. : nunc varices pedum ruptæ, videbis Hildan. p. 92.

§. 26. Progredior ad signa, ubi alia requiruntur pro morbo, alia pro loco affecto, alia pro causa & tandem alia pro eventu manifestando. Signa morbi & loci affecti ex autopsia hauriuntur si in partibus oculis patentibus accidat : Sed ubi ex aliis, quas vestibus obtectas DEUS & natura voluit, contingat, tum confessio ægrotantis aut adstantium supplebit defectum. Quod causarum signa concernit, ex plethora vera judicabis morbum, cum facies calore roseo picta & vasa sanguinea nimium quantum turgida appareant, ægrotus vero de languore artuum, & fluxu citra ullam notabilem occasionem accidente conquerratur. Qui ex plethora notha originem sumit fluxus, multum habet commune cum vera, nisi quod plerumque sequatur commotionem corporis aut animi vel alimentorum acrimiam vel spirituosorum assumptionem. De acrimonia sanguinis certior fies si signa attenderis cacochymia, scorbuti, & aliarum supra adductarum affectionum. Tenuitatis denique te commonificiet serum copiosum, post extravasationem in patina reliquæ massæ supernatans. Anastomosis vasorum discis ex indolente effluxu nulla prægressa contusione aut alia externa violentia, quemadmodum diabrosin quando cum dolore fluit & πῆξι cum injuria ab extra præcesserit.

§. 27. Signis prognosticis tanquam generalis regula inserviet, periculosam nunquam non hæmorrhagiam enormem esse; majus ta-

men periculum imminet, primo si ex arteria prorumpat, metuenda namque ne brevi, impetuoso hoc saltu, in universum thesaurus vitæ consumatur. Secundo augetur periculum si major truncus vasis sanguiferi fuerit læsus. Tertio periculosissima quoque est in morbis cum exanthematibus, ex ratione §. 8. adducta. Quarto tristis erit prognosis cum pallor vel alia discoloratio in facie, extremorum frigus, deliria, lipothymia, convulsiones ac singultus superveniunt, teste Hipp. sect. 5. aph. 3. & 50. sect. 7. aph. 9. E contra benignius judicandum de hæmorrhagia mitiori è vasis minoribus & locis externis, aut in foeminis post menstrua suppressa, vel cephalalgiam diuturnam.

§. 28. Absolutis jam iis quæ ad theoriam hæmorrhagiæ spectabant, ad curationem progressum facio. Maturanda hæc est celerrime, cunctatio enim, ut in omnibus acutis morbis, ita præprimis in nostro maximè nocet. Erit itaque omnium primum causam sciscitetur Medicus sine cujus cognitione rationalis therapia institui nequit: Præterea & in ipsum locum affectum inquiret, quo externo quoque apparatu, si opus fuerit, succurat.

§. 29. Supponamus itaque perspectum esse Medico à Plethora vera oriri affectum, tum omnium Practicorum consensu venæ sectio erit tutissimum & felicissimum remedium, cum ejus ope naturæ conatus potissimum ad liberationem à sarcina nimia sanguinis tendens, juvatur. Quæstio solum erit solvenda qua quantitate & quo in loco sanguis debeat ex secta vena detrahi. Quoad primum si Capi vaccium citante Petræo in Nosolog. harmon. 229. consulas, hoc audies responsum; si summa est vehementia morbi expedit confertim sanguinem usque ad animi deliquium evacuare. Alii tamen præeunte Galeno lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 11. notabilem quidem una vice sanguinis evacuationem approbant, sed non tantam, qualem Capi vaccius voluit. Propterea si unica phlebotomia non suffecerit, jubent ut post horarum aliquot intervallum vel è vulnere modo inflictio, vel ex alio loco, nova sanguinis portio detrahatur. Conf. River. Praxis. Nos quid sentiamus de hac quæstione binis verbis aperiemus: Capi vaccius methodo sua cito sed non tuto; Galenus autem tuto sed non cito curat. Ad alteram quæstionem respondemus pro scopo imminuendi sanguinis quantitatem nullam esse discrepantiam sive in talo, sive in brachio, sive alio in loco illam adornes, modo amplum foramen infligatur venæ. Ast si revulsionem simul intendimus, neces-

necessum erit vel in parte aduersa vel in remotiorib9 locis venam per-
tundere, ita v. g. ut in narium hæmorrhagia talum, in uteri vero bra-
chium seligamus.

§. 30. Ut ut autem hac memorata venæ sectione à præsentaneo
vitæ periculo certo liberari possunt decumbentes, tamen cum depre-
hendantur quandoque, qui nescio quod sibi vitæ periculum ex illa me-
tuant, illis scarificationes, vel hirudines juxta Rhodium. Cent. 3. obs.
71. svadendæ sunt; verum non tam cito voti reddentur compotes,
quam ubi per venæ sectionem abundantiam imminui admiserint.
Reliqua aduersus plethoram adhibere solita medicamenta, ut sunt
purgatio, inedia, plane hic locum non inveniunt, nimis enim tardè
operantur.

§. 31. Missa curatione hæmorrhagiæ ex hac prima causa, exa-
minandam sumimus alteram, ab orgasmo oriundam. Equidem &
in hac venæ sectio & modo laudatæ scarificationes & hirudines con-
veniunt, sed palliativè solum, minusque sufficienter, quod etiam de for-
tioribus, frictionibus & ligaturis dolorificis artuum, vel ad imitatio-
nem R ondeletii, testium, aut juxta Cratonem & Hild. p. m. 91. digiti mi-
nimi; pariter ac de cucurbitulis, hypochondrio dextro ex commenda-
tione Hipp. aut jubente Foresto observ. 14. l. 13. cruribus aut cervice,
ad motis judico. Cavendum tamen ne nimiam hanc incarcerationem
sangvinis in partibus periculum sequatur, prout optime circa ligatu-
ras in primis Zypæus fund. med. p. 377. monuit.

§. 32. Adeoque rectius agunt qui tali in casu causam ipsam
orgasmi h. e. jam sangvinem ipsum resolutum, jam impellentes spiri-
tus respiciunt. Primam intentionem obtinebunt per acida tam ex re-
gno vegetabili desumta, uti sunt succus granat acidus, citri, ribium
berberum, acetum ac alii, vid Hild. p. 91. 92. quam minerali, v. g. sp.
Θis rectificatus ac Θli cujus operationem singularem Wedelius in
Miscell. Acad. Nat. Curios. Ao. III. o. 106. cum essentia violarum
maritatum extollit: horum etenim ope crassescit & firmiorem in mo-
mento consistentiam acquirit tincta non solum sangvinis portio sed et-
iam serosa. Attamen ne frustra hæc dici credas, en testem omni ex-
ceptione majorem, illustrem puta Boyleum, in apparatu ad Hist. na-
turalem sangvinis humani p. 58. qui refert ex affusione spiritus Θis l.
Θli super serum sangvinis, albas quasdam concretiones esse produ-
ctas, coagulum casei exactè referentes.

§ 33. Quod de acidorum facultate coagulativa sanguinis modo adstruxi, de aliis adstringentibus & incrassantibus etiam nunc confirmandū est. Refero autem ad adstringentium titulū hæmatitem, crocum ♂ is adstringentem, ♂ lum ♂ is ad rubedinem calcinatū terrum ♂ li d. coral. sach. Saturni & exin præparata, tincturam hæmatitis. ♀ ris, ♂ li, martis adstringentem, antiphthis. & corallorum it. fyr. berbeb. & myrtillorum de rosis sic & symph. Fernelii; stercus asini pulverisatum, quod tanquam excellens remedium adstringendi vi præditum interne Rodericus à Castro & Zacut. Lusitan. Pr. Hist. lib. ultim. p. m. 638. exhibent, ut nauseosum non commemorans. Operandi modum de hisce si petis scias, hamosas illorum atomos, sanguini interjectas conciliare ipsi consistentiam magis stabilem, motuique adeo veloci minus aptam.

§. 34. Deinde incrassandi vi sanguinis orgasmum & hæmorrhagiam compescentibus, annuero glutinantia, seu quæ viscidas particulas tenui ac resoluto sanguini, pro naturali crasi restituenda, addunt. Intellego autem speciatim gummata minus acria, uti sunt arabicum quod Prosp. Alpinus de plantis Ægypt. p. 5. ut euporiston illis in regionibus sanguinem sistens extollit, vel ceraforum, tragacanthi, mastiches, colophonium, bdellium, quæ Jacobus Fontanus Med. Pr. L. I. c. 32. & Velschius Mictomin. p. 9. deprædicant. Non tamen propterea exclusa volo alia concreta glutinosa præprimis spermaranarum, de quo in substantia assumpto Paracelsus Comment. in lib. 14. paragraph. c. 7. coagulationem sanguinis ad decem imo viginti annos pollicetur, sed quamvis hoc insigne promissum fide careat, nihilominus spermaranarum & exinde præparata pro remediis habeo egregiis in hoc affectu. Sit instar omnium sperniola Crollii in basilica ejus Chym. p. 474. 475. descripta, notetur modo dosin ab Autore præscriptam augendam esse, quid enim quæso gr. iij. vel. iv, aut quantitas avellanæ semis horum glutinantium remediorum (hæc dosis est ab Auctore nominata) ad tot libras resoluti sanguinis? Idem iudicium esto de spermate ranarum in substantia assumpto, insufficiens etenim similiter est quantitas castanæ, quam Langius in Epist. p. 834. determinat. Post spermaranarum glutinantibus succedet lac animalium, vel ex seminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus cum aquis appropriatis paratum, attendendum tamen in horum usu erit, num primæ viæ ab acido peregrino sint liberæ, secus non auctor fuerim ut adhibeantur.

§. 35. Hoc modo ad versus sanguinis dyscrasiam Medicus judiciosus exhibebit medicamenta, sine dubio eventu optato, modo simul ad orgasmi causam, spirituum nempe commotionem, respexerit. Fiet hoc commode medicamentis refrigerantibus & narcoticis. Refrigerantibus annuero aquas destillatas plantag. urtic. centumnodii, equiseti, endiv. portulacæ, acetos. & acetosellæ &c. deinde \oplus & ex eo parata \ominus prunellæ, de quibus experimenta referunt Riverius p. m. 128. & Velschius Micromimim. p. 10. Sub narcoticis volo papaverina & opium juxta præcepta Riverii, Misc. Ac. N. C. Ao. IV. p. 292. Hild. p. 556. Schenck L. I. p. 333. Merito igitur Sydenham in operibus p. 163. anodynum suum liquidum & antiquiores Philonium ad 3j. videatur Matthias de Gradibus ad C. 35. Rhaf. ad Almanforem, & Ferdinand. Hist. med. 33. p. 104: interim virium ratio sedulo habenda est.

§. 36. Præterea spirituum motum infringunt animi deliquium & terror. De animi deliquio hæmorrhagiam sedante jam olim aliquid Hipp. lib. 3. Epid. sect. 7. consignavit his verbis: sanguinis suppressiones faciunt animi deliquium &c. cui effato quoque Galenus 5. Meth. c. 5. & Riverius Praxeos pag. m. 128. adstipulantur, è quibus ultimo nominatus observatione eleganti hujus operationis fidem confirmat.

§. 37. Quoad terrorem res magis in propatulo est, vix enim hodie tonforem aut aniculam reperiri crediderim, quibus terroris facultas in supprimendo sanguinis effluxu sit incognita. Vides propterea à tergo ægrotantium ex improvise bombardam explosam, aut aquam frigidam in opinatò cervici affusam, sæpius aliis incasum præmissis, incantamenti ad instar tollere affectum. Nec rationi repugnant hæc vulgi experimenta, quoniam à terrore illo non tantum concutiuntur sed quoque fugantur spiritus, ita ut semicoagulatus sanguis, non ab orgasmo solum, sed omni penè motu deficiat.

§. 38. Tandem & huic intentioni inservit refrigeratio corporis, quem in finem Hild. C. III. o. 2. totum corpus in cadum aquâ frigidâ repletum immisit. Riverius vero p. m. 132. Fontanus p. 170. oxycratum vel ∇ saltem frigidam, regioni frontis, temporum, cervicis, mammarum, brachiorum, testiculorum aut pedum applicant. Minime tamen omni tempore illorum usum svaserim, ob metuendam coagulationem nimiam sanguinis, vel majorem ebullitionem in interioribus locis. Rectissime igitur Hildanus, non nisi in robustissimis juvenilibus subje-

subjectis, & re summe deplorata, Riverius autem in hæmorrhagia è partibus externis commendat.

§. 39. Sed properandum est ad curam hæmorrhagiæ ex sanguinis acrimonia oriundæ, quam tertio inter causas loco supra posuimus. Quo vero feliciter illam obtineamus, ipsius acrimoniæ natura prius debet esse perspecta: Esto igitur falsam te suspicari, qualis in scorbuticis, scabiosis & coryza laborantibus creditur, tum inviscantibus superius recensitis, gumm. nim. arab. mastiche, colophon. aut emulsionibus ex sem. quatuor Frigid. maj. & minoribus vel lactis potu votitui redderis compos. Ast ubi ad aciditatem deflectitur \ominus sedo, ad rerrea, quæ absorbendo illud nunc evadunt in adstringentia, qualia sunt terra sigill. lemnia, bolus armena, ossa microcosmi calcinata, nunc in diuretica, quorsum imprimis lap. carpio-num usus pertinet, juxta Hild. & testarum ovorum, juxta Antonium de Heide observationum 35. pag. 98. ejus Anatome Mytuli annexarum.

§. 40. Restat adhuc ultimo ex sanguinis vitio scilicet superflua ferositate provenientis hæmorrhagiæ cura. Rursus pro hoc debellando confugimus ad glutinantia aliquoties jam nominata. Quandoquidem vero nimium abundare debent aqueæ particule antequam adeo diluant sanguinem, s. n. glutinosum. Igitur facile concipi potest, neutquam per horum glutinantium dosin unam aut alteram tolli posse hanc morbi speciem, sed necessum esse ut sæpius reiterentur, insimulque juxta Hipp. Lib. 5. aph. 2. 3. Riv. p. 136. Rondelet. p. 268. Petræum 233. Zechium 38. nil nisi cibi incrassantes v. g. pedes vitulini, arietis, hædi, oryza, caseus recens & pingvis, ova indurata & alia assumantur.

§. 41. Hæc arma sunt adversus sanguinis vitia, sequuntur jam solidarum partium læsionibus contraria. Conjunctim illa sisto, non considerata differentia inter anastomofin & diæresin, revera enim curationis ratione nulla intercedit. Attamen cum insignem apparatus nobis hic iterum suppeditent Practici, eorum observationes, ne empiricorum more citra judicium illa arripiamus, certas in classes distribuemus.

§. 42. In priori itaque hærebunt constrictione actuali ostiolarum transmittentium vasorum sanguiferorum obturantia, sive clarius loquendo, compressiones & ligaturæ sauciatorum vasorum. Quoad

compressiones, quid notius folius digiti admotione sectæ venæ vulnus occludi à chirurgis, vel narium hæmorrhagiam ope fabæ, aut argentæ monetæ, per fasciam inter cilia arctæ ligatæ, vel radicis narium forti compressione ex tempore sisti. Neque de ligaturis circumjectis dubium erit, modo fasciis s. spleniis debitis, parietes vasorum sibi approximentur, utut etiam arteria sit quæ sangvinem transmittat, conf. Job, a. Meeck'ren. p. m. 163. sequentibus. Nondum tamen his sufficientibus ad imitationem Hildani p. 823. filo duplicato vas læsum, si accessum admiserit, colligetur.

§. 43. In altera classe stant medicamenta, quæ glutine suo exitum sangvinis impediunt. Experimentum hinc certissimum arculariis v. g. bibliopegis, aliisque hujus farinæ mechanicis est, recenter inflatis vulneribus gluten instillare in formam liquidam redactum. Ex eodem fundamento sangvis exsiccat vulnerebus aspersus vel naribus, si ex illis cruor fluat, insufflatus juvare creditur à Ioele in praxi p. m. 202. V Ved. & Amoen. mat. med. p. 507. quod idem de operatione foliorum cerasi, externe vulneribus impositorum cum Velschio Mictom p. 39. intellectum volo, aliam materiam medicam huc spectantem ut nunc omittam.

§. 44. Tertia Classis præbet lanuginosa, utpote à quibus sangvinis exitus remoratur non solum, sed etiam vulnerum labia adducuntur. Sic lanugo salicis confert, vel fructuum cydoniorum, platani, bombacis & castanearum, prout affirmat Rondeletius p. 283. sic operantur linteorum ramenta & turundæ ex rasili linteorum lanugine contortæ, telæ aranearum, pilique leporis.

§. 45. In quarta classe locantur sangvinem in exitu incrassantia & vasa constringentia. Conjungo duplicem hanc operationem, rarius namque unicum solum ex illis à medicamento exeri deprehendas. Dico rarius; refert enim Simon Pauli in Quadrip. Botan. p. m. 396. coagulationem talem sangvinis sine adstrictione vasorum à menthæ decocto sub forma pediluvii adhibitam, etenim illud, cum fœmina quædam pedes immerisset, sangvinem ita suppressit, ut ne guttula ex vena saphena à chirurgo selectissimo secta effluere potuerit: Igitur non male mentha contusa naribus à Riverio p. 396. intruditur pro hæmorrhagia illarum compescenda. Sed magis est mirandus effectus Sp. Vini, qui contrario operatur modo, nimirum constringendo vasa sine coagulatione sangvinis, quemadmodum id variis in subjectis, egregii hujus

experimenti inventor Excellentissimus Dn. D. Bohn in Actis Erudit
Lips. Ao. 1683. mense Aprili publicatis, annotavit.

§. 46. Sed ad illa me confero, quæ, uti dictum, in crassantia simul
sunt & adstringentia. Duplici via iterum præstant hanc operationem,
jam austeras suas partes odore tenus & sub forma miasmatum, jam à rea-
li contactu communicando. Miasmatum sub forma sistunt, stercoreis su-
illi ac asini odor manifestis nimirum austeris exhalationibus teste VVe-
del. Amoen. mat. med. imbutus. Sordities tamen hujus remedii, cum
quam plurimos ab usu ejus deterreat, frequentius contactu operantia ex-
igit. Talia sunt epithemata & cataplasmata repellentia dicta ex oxi-
crato, terra sigill. bolo, sanguine draconis, farin. volat, vel ex gypso, ci-
neribus chartarum lusoriarum, & album. ovor. quale exemplum Bras-
savolas in com. ad 23. lib. 5. evehit. His accedunt ipsis læsionibus
adsperfa terra sigill., hæmatites, fungus pulverulentus, aliàs lupi crepi-
tus dictus, pulvis gallarum, usnea cranii humani, & quod omnibus
palmam si non præripit, dubiam tamen reddit, alumen ex Borelli Ob-
servat. 50. C. IV. Fluida si arideant, non deerit unquam sufficiens ap-
paratus, poteris namque vel solum acetum in usum vocare, sive pan-
num xylicium ustum cum albumine ovor. subactum, quod egregium
ex VVedeli communicatione est arcanum, vel atramentum scriptori-
um, vel famosum liquorem ex D lo & alumine cujus descriptionem
Act. H. Val. II. p. 349. & VVeberus in peculiari de liquore styptico
conscripto tractatu exhibet.

§ 47. Hæc mitiora sunt, superantur enim multum ab Escharo-
ticis dictis, h. e. quæ vasorum sanguiferorum extremitates comburen-
do crustam inducunt. Nil refert sive potentialia sive actualia fuerint.
E potentialibus siquidem D lum ustum sive cholcotar à Riverio p. m.
132. Henrico ab Heer obs. 23. Heurnio in comment. ad Aphorism.
Hipp., à Rondeletio autem auripigmentum, sandaraca, extolluntur,
plura si desideras evolve Severini trimembr. Chirur. Heurnii method.
ad Praxin & Bartholinum de cauteriis. De actualibus res magis aper-
ta est, quod si enim ferrum candens loco affecto admoveatur, statim
coagulatur sanguis & in escharam plus minus duriorum convertitur
locus. Apud antiquos hæc sanguinem sistendi methodus sumè com-
mendabatur teste Hipp lib. de locis in homine c. 49. Rhaze l. 7. c. 20.
Avicenna 4. l. e. 29. frequentiusque hodie adhuc apud Italos ac Gal-
los in usum vocatur. Instrumenta si desideras & observationes, erunt
tibi instar omnium Hild. p. 823. 824. & Severinus in tr. de efficaci me-
dici-

dicina p. 265. qui depicta non solum illa, sed maximis præterea enco-
miis elata sistunt. Quandoquidem verò nostri populares uisionem hanc
partium cane pejus ac angve reformidant, neque nos prolixius inhæ-
rebimus ejus examini.

§. 48. Antequam vero finiamus tractationem de apparatus me-
dico, mentio adhuc injicienda est celeberrimi istius pulveris sym-
pathetici Dygbæi vulgo dicti, cujus ope feliciter omnis hæmorrhagia,
modo solum super illum guttula una vel altera exstillantis sanguinis
mittatur, miraculose compesci posse creditur. Descriptionem ejus
nobis Dygbæus ipse communicat de pulvere sympathetico p. 10. re-
ferens constare illum ex solo Phlo , mense Julio vel Augusto à radiis
solaribus calcinato, cum anatica vel prout alii volunt sub decupla par-
te gummi tragacanthi mixto.

§. 49. Num ex naturalibus viribus hanc suam præstet opera-
tionem pulvis hic, disputatum est hætenus acerrime inter Autores.
Nos omissa hac disceptatione quæstionem potius facti movemus.
Minimè autem concedimus sanationem hæmorrhagiæ certo ac præ-
cisè, utut nihil omisum sit quod requirebatur ex utraque parte, se-
qui. Et nostrum si forsan in dubium vocites effatum, en magni Boylei
tentamina physica. p. 120. ubi propriam, minus secundam adjicit
experientiam. Quod si tamen eventus optatus insequatur, quem
perpetuo non nega vero, tum omnino ex naturalibus causis operatio-
nem dependere rationibus variis evincit Wedelius Amoen. mat. med.
p. 504. adeoque salva conscientia ad hoc remedium confugi potest.

§. 50. An attem citra conscientiæ vulnus solis carminibus
possimus profluvium sanguinis compescere ad imitationem liberorum
Antolyçi hæmorrhagiam Ulyssis citante Langio epist. p. m. 705. sic
curantibus, aut versibus Jobi à Meeckern obs. p. 40. allegatis, constan-
ter nego, nec mihi cum Borello Cent. 1. obs. 94. persvaderi patiar in
verbis hisce nudis tacitè missitatis tantam occultam inesse virtutem, ni-
si incredulis potens Sathanas ad augendam superstitionem opem
suam confert, quod idem judico de modo sistendi eruptionem sangvi-
nis è naribus si cum cruore effuso, fronti ægrætantis nomen, in sacro
baptismatis lavacro, impositum, inscribatur, videsis Petraum Nosol.
Harm. p. 235.

§. 51. Unicum adhuc restat, nimirum symptomatum concomi-
tantium & insequentium cura. De prioribus observa, cessante cau-
sa, h. e. effluxu sanguinis sponte cessare langvorem cordis, sudorem
frigi-

rigidum, scotomiam, & animi deliquium, cum reliquis; adeoque illa vel planè non attendenda sunt, vel non alia postulant remedia, quam si ex aliis causis provenirent. Ast virium prostratio omnino urget subitanèam restitutionem; metus enim imminet celerrimè mortis, aut cachexiæ vel hydropis ex intermissa cura. Quo igitur utrumque possit evitari, Practici jusculis restaurantibus caponum, hordei, confectioe alchermes, aliisque confortantibus obviam ire jubent. Optandum vero respondere infallibiliter promisso, virium reditum; verum tantum abest, quin cassa spe sæpius nobis jam allegata illudant, dum ne quidem in chylum, multominus in nutrimentum, convertere se, à spiritibus jam deficientibus patiuntur; conf. obs. supra §. 5. allegata.

§. 52. Itaque tali in casu unicum superesse videtur remediū, atrox quidè primo intuitu, sed periculosissimo hoc symptomate dignū, quod moderni sanguinis transfusionem ex animalis sano ac vivente in aliud ægrotum vocant. Non rationi dissonū est illud, celerrimè siquidem vitæ hic thesaurus ejus ope restituitur, qui alias nunquam, aut non, nisi per longam temporis moram, ob langvorem virium recuperari potest. Neque experientia contrariatur, insignem namque ejus usum, non solum Transactiones Anglicanæ p. 563. sed Lovver etiam de corde p. 186. 203. & postmodum alii egregii Viri loqvuntur. Imo si parva licet componere magnis, propriis manibus celebratam, hisque oculis visam in cane experientiam allegare possum. Res ita se habet: Anno ab hoc altero in collegio privato Anatomico præsentibus plusquam viginti Philiatris, è canis supra tabulam firmiter ligati vena jugulari externa detrahebam omnem cruorem usque donec miser ululans antea insigniter ac jactitans sese, langvidus adeo reddebatur, ut solutis omnibus vinculis ne pedem amplius movere possët. Interea in promptu erat alius canis similiter tabulæ proximæ annexus, in cujus arteriam carotidem, scalpello læsam tubulum huic negotio accommodatum una extremitate immittebam alterâ in semimortui canis venâ firmatâ. Breve tempus intercesserat; dum hæc agebantur, cum canis ex orci faucibus ereptus, vivere denuo, hoc est movere sese, latrare, finitaque operatione, sanguinisque fluxu per spiritum vini suppresso, lætus pedibus insistere coepit, altero die suum hospitium, quasi nihil secum actum esset, sanus ac alacris repetens. Similia itaque & in homine locum habere suspicor; Satius enim erit in casu desperato aliquod, utut anceps, hisque nostris regionibus minus notum quam nullum tentare remedium.

§. 53. Sufficiant hæc hac vice; Fateor quidem plura restitasse adjicienda, præprimis circa apparatus medicamentorum; sed veniæ futurum locum spero qui exercitii gratia disputationem, minime vero perfectum omni ex parte tractatum conscribere, in animo habui. Deo interim pro concessis viribus sit Laus & Gloria.

F I N I S.